



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Theoderici Regis Qvondam Ostrogothorum & Italiæ**

**Cochlaeus, Johannes**

**Ingolstadii, 1544**

**VD16 C 4410**

De Probitate Magisstratuu[m] & officialiu[m] sub rege Theode. Cap. X.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb00004354-8**

Infra quorum Confessiones fecit arcus argenteos penfantes lib. XXX. Quæ cubicula omnia fundamento perfecta construxit.

**Ornamēta Basilicæ S. Petri.** Basilicam S. Petri marmoribus ornauit, & Cantarum B. Petri cum Quadriporticu ex marmoribus ornauit, & ex muro suo agnos & cruces & Palmas ornauit. Ipsum uero atrium omne compaginauit. Gradus uero ante foras Basilicæ B. Petri ampliavit, & alios gradus sub tigno dextra leuaque construxit. Item Episcopía in eodem loco dextra leuaq̄ fecit. Intra ciuitatem Romanam Basilicam S. Syluestri & Martini à fundamento construxit iuxta Thermas Traianas. Vbi & super altare Ciboriū argenteū fecit, quod pensat lib. CXX. Arcus argenteos XII. qui pensant singuli lib. X. Confessionem argenteā quæ pensat lib. XV. fecit & alias multas Basilicas atq; Oratoria extra mœnia, quæ longum foret singula referre. Item ad B. Petrū & B. Paulum Apostolos, & ad S. Laurentium, pauperibus habitacula construxit. Item ad B. Petrum XX. Canthara argentea fecit, pensantia singula lib. XV. Et arcus argenteos XXII, penfantes singuli lib. XX.

**Elemosyne magnarum expensarum.** Hic omni anno per Aphricam uel Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant retrusi, pecunias et uestes ministrabat. Hic captiuos per Liguriam & Mediolanum & per diuersas prouincias pecunijs redemit, & dona multiplicauit & dimisit. Hæc ibi, qualia & Platyna in uita Symmachi non pauca commemorat. Quis autem Ro. Pontificum nostris temporibus in tam multa pietatis opera possit impensas sufficere, licet contra opes eorū uulgo permulti nunc inuidiose scribant & clamitent.

DE PROBIDADE MAGISTRATU & officialiū sub rege Theode. Cap. X.  
Multos



**M**ltos quidem ac diuersos in regno suo habuit Magi-  
stratus & Officia rex iste, sicut et Imperatores alijq po-  
tentes principes habuere, sed uix fuit unus inter omnes, qui  
uel maiori cura & iudicio delegisse, uel magis sollicite ad uir-  
tutem & animi integritatem adhortari delectos uisus sit. Id  
quod facile credet, quisquis eius rescripta & dignitatum for-  
mulas perlegerit. Nos hic exempli gratia pauca referemus. Bonus mi-  
nister prin-  
cipis.

Etenim, Cum Stephanum, uirum sublimem, Comitum  
primi ordinis, Ex principem facturus esset, id meritorum eius  
intuitu se facere testabatur, sic scribens. Tribuenda est iustis  
laboribus compensatio praemiorum, quia exprobrata militia  
creditur, quae irremunerata transitur. Placere siquidem meruis-  
seti cunctis, cum semper diligenda custodia, silentium in se-  
cretis, in actionibus efficaciam, in observationis labore frequen-  
tiam, & quod rarum est continentiam bonum, crebra hominum  
uicia fecerunt, Cum multis praebes officia, nulli tuam ope-  
ram uenditabas, Vocabulum principis nulla sorde maculasti,  
seruans dignitatem nominis, exercitatione uirtutis. Hinc est,  
quod Spectabilitatis honorem, quem militiae sudore deteris  
iusta deputauit antiquitas, praesenti tibi auctoritate conferi-  
mus, ut laboris tui tandem finitas excubias remuneratione  
Comitatus primi ordinis iam securus intelligas. Et quia gra-  
tiam principis dignitas nuda non asserit, nec beneficium dici potest,  
quod nulla utilitate sentitur, Priuilegia tibi quoque, quae tri-  
bui Scholae tuae Ex principibus Diuina constituta uoluerunt,  
simili munificentia condonamus.

Sic & senarium uirum Illustris facturus Comitem pri-  
uatarum, seu patrimonium, a meritis antecedentibus commendat,  
ad ornatum (inquit) Palatii credimus pertinere, aptas dig-  
nitatibus personas eligere. Quia de claritate seruitium crescit  
fama dominorum, Tales enim prouehere principem decet,  
ut quoties Procerem suum fuerit dignatus aspicere, toties se  
si ij cognoscat



cognoscat recta iudicia habuisse. Moribus enim debet esse conspicuus, qui datur imitandus, facile est, qualemcumque sibi deligere, multis autē electum uidere decet. Cape igitur per indicationem Quartam Illustris Comitum nostrum patrimonij dignitatem. Quam tibi non immerito tribuit Regalis auctoritas. Diu namque nostris ordinationibus geminū mutuatus obsequium, & consilij particeps eras, et disposita laudabilis sumptione cōplebas. Subisti saepe arduae Legationis officium, Restitisti Regibus non impar assertor, coactus iusticiam nostram & illis ostendere, quirationem uix poterant cruda obstinatione sentire. Non te terruit contentionibus inflammata Regalis auctoritas, subiugasti quinimo audaciam ueritati, & obsecutus ordinationibus nostris, in conscientiam suam barbaros perpulisti.

Quæstura  
requirit do-  
ctrinam &  
probitatē.

Et cum ad quæsturam promoueret Illustrē uirum, Honoratū, in hæc uerba scripsit senatui. Certum est, P. C. prudentibus uiris uestrum florere consilium, Sed & hoc probatur egregiū, quod uobis permiscetur dignitas literarum. Omnes enī quos ad Quæsturæ culmen etichimus, doctissimos æstimamus. Quales legum interpretes et consilij nostri decet esse participes, Dignitas, quæ nec diuitijs nec solis natalibus inuenitur, sed tantum eam doctrina cum coniuncta potest impetrare prudentia. Nam licet in honoribus alijs beneficia conferamus, hinc semper accipimus. Est nimirum curarum nostrarum foelix portio, ianuam nostræ cogitationis ingreditur, pectus quo generales curæ uoluuntur, agnoscit, Aestimante quid de illo debeat iudicari, qui tanti particeps sit secreti. Ab ipso legū peritia postulatur. Illuc uota cōfluunt supplicantium. Et quod est omni thesauro præciosius, penes ipsum ciuitatis nostræ fama reponitur. Quæstore iusto innocenti conscientia sit secūra, improborum tantum uota redduntur anxia. Et cū malis surripiendi spes tollitur, studiū bonis



bonis moribus adhibetur. Vnicuique propria iura custodit, pec-  
cuniae continens, aequitatis profusus, nescius decipere, prom-  
ptissimus subuenire, ingenio principis seruit. Quod uniuersa  
superat, illius ore loqui cogitur, cui nullus similis inuenitur.  
Hunc locum uitij uacuum, uirtutibus plenum, qui sub nos-  
tra potuit expedire praesentia, nonne uobis dignus est esse  
Collega?

Item Capuanum, Decuriarum Rectorem promouens, **Decuriarū**  
ita scripsit senatui. Licet caute semper eligendus sit qui uobis **Rektor in**  
mittitur approbandus, quia ipse magis traditur examini, **senatum,**  
cuius sententia noscitur prolata pensari. Illas tamen prudenti-  
bus uiris sociari cupimus dignitates, quae Romanis artibus  
quasi gemmae nobiles affiguntur, Vbi enim dignius eloquens  
quam in ciuitate proficiat literarum? Ut ibi declaret meritum,  
ubi nutriuit ingenium. Capuanum igitur, spectabilem uirum,  
aestimatio nostra respexit, qui Curiae uestrae sententiam ma-  
ioris natu autoritate facundus ediceret, & senatus scrinia co-  
scientiae puritate seruaret, ut actus illos mundo celeberrimos  
sua reddat integritate laudandos. Magnū munus est P. C.  
ad integritatem deligi. Nec mediocriter probatur consciētia,  
cui est ueritas commissa seculorum. Et infra. Quae nunc ideo  
declaramus, ut cognoscatis, subiectorum gratas nos habere uir-  
tutes, & iudicium nostrum non per casuale uotum, sed per  
electionis studium doceamus esse conceptum. His ergo P.  
C. Capuanum bonis dotatum, a praesenti indictione Decu-  
riarum Rectorem esse praecipimus, maioris etiam natu autho-  
ritate subuehimus, ut qui se morum cetera maturitate tractauit,  
quod est amplissimum reuerentiae genus, in uestro ordine,  
aetatis honore gratuletur. Augebit eloquentiam officio meliore  
ditatus, quoniam multo facundior est qui sententiam dicitur  
quam ille qui supplicat. Haec Regis huius rescripta, exempli  
gratia adducta sufficiant.

li iij Qui



Qui uolet, plura legat in Cassiodori Epistolis, Equibus cognoscet, quantam ubiq; suis Officialibus iniunxerit, aut approbatis tribuerit morum integritatem & honesti studiū, siue in Palatio regis, siue in senatu, aut in urbe Romana siue in proiuncijs, suae functionis assecuti essent dignitatē. Quare nemo de optimo Reipub. statu qui sub isto floruit rege, dubitare iure poterit, qui tantam eius in deligendis magistratibus curā, diligentiaque et integritatis iudiciū expēderit.

*DE IUSTITIAE VIGORE ET  
legū obseruatione sub Rege Theo. Cap XI.*

**Q**uātam iusticiae rationem legumq; reuerentiam ubiq; custodierit Rex iste, ex diuersis eius rescriptis facile colligitur. Non pepercit consanguineis, nō Magistratibus quātumuis sublimibus, non senatoribus & Patritijs, nō quibuslibet officialibus, quicumq; à iusticiae tramite per humanos affectus declinare uisi fuissent. Nos ex multis pauca hic recitabimus iusticiae illius exempla quae imitari dignū sit bonos principes.

Qualis esse debet Ad uocatus fisci. Etenim Marcello, quem Fiscus sui Aduocatum constituebat, inter caetera sic scripsit. Polisti (inquit) forensi cote multipharie praedicatus ingenium, nutriti facundiam exercitatione causarum, expertus es quā suaves fides afferat fructus, ut etiam ipsa conciliet corda regnantium. Haec in te speculator uirtutum noster sensus inspexit, his apud nos suffragijs placere meruisti, ut dignus existeres ad publicas causas, qui gessisti hactenus sub integritate priuatas. Sume igitur Fiscus nostri tuenda negocia, in utēdis Officij tui priuilegijs, decesorum exempla secuturus. Ita ergo per medium iusticiae tramitem moderatus incede, ut nec calumniā innocētes graues, nec iusti